



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

2. Quibus cedant oblationes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

de qua in *e. Officii & in e. Requisit. sup. De testam.* Tertia, quæ fit ad altare vel manum Sacerdotis celebrantis, *can. Antiquos x. quæst. 1.* Et hæc ex consuetudine specialiter Oblatio dici solet: & sine ea parochiani ad Ecclesiam diebus festis & Dominicis inter Missarum solemniam faciendam, juxta consuetudinem receptam, accedere non debent, *can. Quia Sacerdotes x. quæst. 1.* Et que consuetudo ex devotione populi, non ex exactioe Clericorum, initium habuit.

4. Tamen si verò oblationes de sui natura sint voluntariæ, nemoque communi lege teneatur Dominicis Festisve diebus ad offerendum: tamen subinde sunt de necessitate, Primo, ratione consuetudinis receptæ, cui satisficit communiter, quando major pars populi, Capituli aut Collegii offert. Secundo, si ministri Ecclesiæ egeant: nec enim suis stipendiis militare tenentur, *e. Cum ex officio sup. De præscrip.* Tertiò, si concedatur fundus universitati aut congregationi seu communitati, eâ conditione, ut fiat oblatio Ecclesiæ, *can. Oblationes x. l. 1. q. 2.* Quarto, ex deputatione aut promissione, ut si quis inter vivos vel in ultima voluntate aliquid relinquat, Ecclesiæ solvendum aut offerendum, *can. Nulli x. l. 1. q. 2.*

§. II.

Quibus cedant oblationes,

1. Cedunt Parocho vel Prelato Ecclesiæ.
2. Etiam Capellæ.
3. Nisi intuitu ipsius Capellæ fiant.
4. Quatenus Episcopo debeantur.

1. Quæ quidem oblationes si fiant in Ecclesia Parochiali cedunt Parocho: si verò in alia Ecclesia, Prelato illius, *can. Quia Sacerdotes x. q. 1. §. 2.* Similiter si fiant Capellæ, intra limites Parochiæ, cedunt Parocho, non Sacerdoti Capellæ, Panormit. in *e. Pastoralis n. 2. sup. De his quæ sunt à Prelato &c. Azor. 1. Institut. Moral. lib. 7. cap. 27. q. 13* nisi Capellæ habeat bona distincta aut gubernationem separatam ab Ecclesia, ut ex Felino tradit Wam. *Conf. 436. n. 9.* Idem dicendum, si fiant picturæ in pariete domus privatæ, intra Parochiam sitæ: nisi de consuetudine ad dispositionem spectent Episcopi.

3. Si autem offeratur quid altari seu Capellæ

in Ecclesia existenti, non intuitu Ecclesiæ, sed intuitu ipsius altaris sive Capellæ, habentis bona distincta, cedit illud usui illius altaris sive Capellæ, Felin. in *e. Dilectus n. 2. & 3. sup. De officio Ordinarii Palf. 2. p. cap. 5. art. 4. n. 44.* Cuius verò intuitu aliquid oblatum esse dicitur, ex conjecturis judicandum est:

4. Sed & de oblationibus, quæ sunt Ecclesiis, participare potest Episcopus, *can. Concil. x. l. 1. q. 2.* nimirum ubi talis esset consuetudo. Alioquin regulariter Parochus habet intentionem fundatam de jure, super oblationibus, quæ fiunt intra fines parochiæ suæ, vel quæ fiunt circa benedictiones nuptiarum, purificationes post partum, in administratione Sacramentorum, celebratione Missarum, *can. Statutum x. l. 1. q. 1.* etiam si hæc per alium, & non per Parochum, exercerentur, quia per se facere videtur, qui per alium facit, *e. Qui facit De R. 1. in 6. Palf. d. loco.*

Si verò Episcopus ipse celebret in Cathedrali vel in parochiali Ecclesia, vel aliqua quacunque, oblationes ei soli cedunt, *e. Super eo sup. de Parochiis.* Hostiens. in *Summa d. tit. n. 2.* Sicut & Archiepiscopo cedunt, quando celebrat in provincia, nisi consuetudo sit in contrarium, aut nimis frequenter ibi celebret. Ubi tamen Episcopo in Parochia celebrante oblationes ex consuetudine percipit Parochus, debetur Episcopo Canonica portio, *e. Conquerente sup. De officio Ordinarii.* Quod si Episcopus vel Archiepiscopus celebret in locis exemptis, oblationes cedunt ei, qui jus habet parochiale.

Porro parochianis nolentibus consuetas oblationes facere, non idem subtrahere Sacramenta Parochus debet; verum iis ministratis, potest officium implorare Superioris sui, nempe Episcopi, ut suas obeant partes,

§. III.

A quibus recipi, quique recipere oblationes non possint.

1. Non ab hæreticis, excommunicatis &c.
2. Laicis oblationum incapaces.
3. Et Religiosi regulariter.

1. Recipi oblationes non ab omnibus promiscue possunt: non ab hæreticis, excommunicatis, Simoniacis, oppressoribus pauperum